

cedimus. De posterioribus nil temerè cum *Scholasticis* definimus, utpote Scripturæ ductu destituti. *Pontificij* nimis ruinoso fundamento innituntur, nimirum fictis *Dionysii Arcopagite* opusculis. Sed inter rationes, quibus illius personati Dionysii autoritas elidatur, imprimis hæc est, quod Dionysius Arcopagita discipulus Pauli fuerit, sicq; vixit proximè à tempore Apostolorum. Meminit verò templorum, altarium, locorum sacrorum, Catechumenorum extra fores templi stantium, quæ omnia tempore Pauli discipuli non fuerunt. Vid. Crit. Sacrum Andreæ Riveti, lib. 1. c. 9. 10. 11.

11. *An Angeli sint invocandi?*

R. Decisionem dedimus in *Loco de Invoc.* retortis simul adversariorum arietibus.

IN LOCO
DE ANGELIS MALIS.
THEOREMATA.

1. **N**omenclaturâ malorum Angelorum respicit appellationes proprias, & figuratas.

2. Propriæ desumuntur à variis rebus, nempe 1. à natura & essentia, ut cum absolutè vocantur Spiritus, *Matth. 9, 20.* 2. A fine & officio, ad quod initio à Deo conditi, ut cum dicuntur Angeli absolutè, *1. Cor. 6, 3.* 3. Ab adjunctis qualitatibus per malitiam contractis, ut quando audiunt Spiritus mali, Angelus Satanæ, mali, maligni, crudeles, *1. Sam. 16, 14. Proverb. 17, 11. Matth. 13, 19. 2. Cor. 12, 7. Act. 9, 12.* 4. A qualitatibus concessis per creationem dicuntur *δαίμονες*, *Luc. 11, 20. 2. Chron. 18, 20.* 5. Ab effectu vocantur calumniatores, adversarius, Deus hujus seculi, spiritus mendax, spiritus fornicationum, tentator &c. *Esai. 19, 14. Ose 4, 12. Zach. 3, 2. Matth. 4, 3. 2. Cor. 4, 4. Apoc. 9, 11.*

3. Figuratæ desumptæ sunt 1. ab hominibus, ut cum dicitur Venator, *Pf. 91, 3.* vel à brutis, ut Leo rugiens, Serpens, Scorpius &c. *Esai. 27, 1. Tob. 3, 8. Luc. 8, 5. Job. 10, 12. Apoc. 12, 19.* Et quidem hæc sunt nomina appellativa. In libro verò Tobiae extat unum Diaboli cujusdam œconomici nomen proprium Asmodæus, quod est à radice *אשמו* vastavit. Vide quæ notavimus ad illum locum in *Theolog. Exeg.* seu notis nostris biblicis.

4. Sunt